

05 H 587



P A

P

N

O

I



ANTON. VAN DALEN
D. B. A.
PARALOGISMOS
ANTON. VAN DALEN

QUANTVM AD
PRAESIDEM ORACVLORVM

ATTINET
EXCVSSOS

IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTENT

PRAESES

IOANNES FRIDERICVS
SCHOMERVS

SVER. MECKLENB. L. L. A. A. MAG.

ET

RESPONDENS
IOANNES HENRICVS BREVHAN

HAMBVRGENSIS
S. S. THEOL. CVLTOR

AD D. XIII. NOVEMBR. A. R. S. M DCC XXIII.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE



05 H 587



Anno superiore, me, in Præfatione Dissert. de Vero Oraculo-
rum Præsede, contra DALENIVM ejusquæ sequaces pro-
mittere memini, quod ad objectiones Dalenii responsurus
sim, simul ac cognovissem, Jesuitam BALTVM illi non-
dum satisfecisse. Huius etenim librum, *Reponse sur l' his-
toire des Oracles de Monsieur de Fontanelle* inscriptum, tum temporis
obtinere nullo modo poteram. Postquam vero prædictus Balti liber
ad meas pervenit manus, eundem perlegens, deprehendi, illum dire-
ctæ & data opera Fontanelli tantum Historiam Oraculorum refutare,
indirectæ tamen Dalenii sententiam, utpote cujus scriptis ejus innite-
batur adversarius, labefactare. Baltum præterea in eo potissimum esse
occupatum, ut auctoritatem Patrum Ecclesiæ contra Fontanelli socio-
rumque criminationes defendat, & ab impati criminibus, levitatis,
oscitantia, quin & supinæ ignorantia illos in tutum colloquet. Dicta
autem Scripturæ S. ad quæ provocat Dalenius, non attingit, ad alia
quoque eiusdem argumenta, ex instituto saltem, nihil respondet. Ra-
tus igitur, promissis standum, Dalenii scripta, huc facientia, horis sub-
civis perlegi, & occurrentes dubitandi rationes, quæ alicujus momenti
esse videbantur, annotavi, eas nunc, ubi idoneus quidam sese obtulit
Respondens, quem hucdum desideravimus, præsentî Dissertatione exhi-
bemus, subjuncta brevi ad singula momenta responsione.

§. II. Prius vero, quam ad ipsas argumentationes Dalenii deve-
niamus, non inutile forte nec injucundum erit, pauca quædam de Viri
illius indole ac inferendi ratione in medium attulisse, præsertim cum
varia in Autore hoc jure merito desiderentur. Optima Scriptoris re-
quisita sunt methodus & *dispositio*. Vtrumque frustra a Dalenio ex-
spectabis. Methodus in Dalenii scriptis nulla est, subinde enim summa
imis, quadrata rotundis permiscet. (a) Reprehendit hanc in scriptis
ejus confusionem jam pridem Jesuita BALTUS, (b) & eo magis hanc

A 2

ob

(a) Sub initium Cap. III. de Orac. Veterum Ethnic. pag. 53, 54. Edit. Amstel.
de anno M DCC. in Quart. aliquem quidem ordinem indicat, & qua me-
thodo uti possit, ultro innuit, statim vero ab hoc proposito resilit, addendo,
*Quæ omnia, licet non eodem ordine, uti hic posui illa, pertractem, inbique li-
bertatem dissertationibus concessam reservaverim, non puto, id lectoribus ullo
modo obscurum.*

(b) In *Reponse sur l' histoire des Oracles Part. 1. Chap. 1. p. 2.* ubi laudat Fon-
tanellum quod sustulerit in scripto suo hancce Dalenii confusionem *Vous en*
(des

ob causam culpam nus, quod hujus sibi vitii conscius (c) illud non emendarit, sed semper antiquum obtineat (d). Innumera enim ipsius, & adeo proluxa excursiones non possunt non lectori molestiam creare, ut lectiois pertæsus librum e manibus deponat. Quotus enim quisque tam patiens est, ut velit cognoscere, quæ ad præsentem materiam & scopum nulla prorsus ratione faciunt? *ἄκριβειαν* jure in Dallenio desiderari, uno alteroque exemplo ex *Cap. I. de Orig. & Progr. Idololat.* ostendisse sufficet. Nam ibi *ἀκριβειαν* nullo modo tuetur, dum *Diabolis ac Gentium Numinibus Miracula* passim tribuit, p. 5. 10. seq. mox autem *Deos Gentilium futurè aliquid prædicere posse* temere negat. p. 10. sqq. Vbi aperte confundit miracula & mirabilia. Mirabile enim est, cujus causæ nobis non sunt notæ, si vel maxime sint naturales. Miraculum vero, quo naturæ series vi supernaturali & extraordinaria superatur; hinc dicunt, neminem posse præstare miracula, nisi solum Deum. Futura autem quæ prædicuntur, vel sunt necessario vel contingenter futura, & prædictio de iisdem vel certa & infallibilis, vel conjecturalis tantum. Illius generis futurorum prædictio certa cadit quandoque in homines. Sic v. g. Astrologus certo prædicit futuram eclipsin Solis & Lunæ. Hujus vero generis futurorum, quorum effectus a libero causarum arbitrio dependet, conjecturalis notitia & prædictio, in prudentem & circumstantiarum gnarum, multo magis in Diabolum, qui rerum causas penitius rimatur, cadere potest (e) e. g. Exercitum numerosiorem, armis quoque

(des livres de Mr. van Dalen) avez osté cette confusion extrême, qui y regne par tout, & qui désespère le Lecteur le plus ardent & le plus attentif, qui se perd à tout moment dans un labyrinthe de digressions, de parentheses & de citations inutiles, entassées les unes sur les autres.

- (c) Patet hoc ex *Cap. III. p. 61. de Orig. & Progressu Idololat.* ubi queritur, ad aures suas pervenisse, Dalenium plus semel nimium esse in citandis Autoribus. *it. Cap. IV. p. 126.* innuit, sibi verendum, ne exscriptoris titulo insigniatur, ob adducta proluxiora Autorum loca.
- (d) Non solum enim *l. c. pag. 51. ex quo jam satis multa*, scribit, *lectoribusque nonnullis forsitan tædiosa excerpsti. sed iterum p. 133. jam nimis procul extra oleas vagatus sum. p. 222. nimis late nunc a scopo mihi propæsto divagatus sum it. pag. 384. nonnulla saltem breviter perstringam, ne lectori tædium creem, aut, (quod sæpe tamen accidit mihi) nimis devius fiam. conf. pag. 282. 283.*
- (e) Quousque Diabolus in præscientia pariter ac prædictione futurorum progressi posit, studio investigavit B. BALDVINVS in *Caf. Conf. Lib. III. Cap. II. p. m. 579. seq.* ubi optime docet, quod omnia illa, quæ homines de necessario vel probabiliter futuris scire possunt, ea Diabolus longe certius, ob summam agilitatem, ingenii præstantiam, & diuturnam experientiam sciat. Quodque

quoque & reliquo apparatu instructiorem, victoriam a minus exercitata & instructis reportaturum. Certa vero & infallibilis noticia æque ac prædictio futurorum contingenter talium soli Deo, in se & sua natura competit, e. g. Incolas Kegilæ Davidem Sauli tradituros, si in urbe remansisset. Hinc dicendum erat: *Prædictionem certam ac infallibilem futurorum contingenter talium non competere Diis Gentilium.* Et sic in sexcentis aliis. (f)

§. III. Qua vero de causa ita locutus sit Dalenius, me latere profiteor, forte eum in finem factum, ut in errore aliquando deprehensus, spatium elabendi, & latibula, quo se reciperet, haberet. Hic enim mos, & quasi proprium est, nostri Seculi empæctarum, qui recentissime a se detectas veritates undique crepant, ut erroris convicti, se verba non in vulgari, sed aliena significatione accipere clamitent. Sic fundamenti vocabulum adhibentes, se finem intelligere, & τὸ specie differre, sibi de qualibet differentia, etiam accidentali dici, inaniter causentur. Sed talis terminorum abusus, si vel maxime in aliis non attendendus, istiusmodi tamen Aristarcho, qualem se videri cupit Dalenius, minime erit condonandus. Ut jam nihil dicam de inconstantia ipsius, qua modo sic modo aliter sentit ac loquitur, ordinem semel electum immutat, & quæ in priore editione posteriori loco tractarat, nunc primo loco affert. (g) Ejus tantum inferendi modum paucis attingam. Incedit nimirum via novaturientibus communi, qui veritatem theseos, quam in dubium vocare aut destruere laborant, acriter exhibent, falseque peritringunt. Mox unam alteramque leviolem circumstantiam falsitatis arguunt, stramineis denique rationibus impugnant, aut ficulneis argumentis expugnare nituntur. Eundem in modum Dalenius audaçter calumniatur, dissentientes ironice exagitat, aniles subinde fabulas & historiolas nar-

Quodque infernalis Spiritus sæpissime, cœpta, aut quæ in fieri sunt, item quæ ipse facturus, ut futura prædicat, mox etiam pro calliditate sua, quæ Viris Θεοπνεύστοις revelata, ubi eorum impletionem appropinquare sentit, tanquam de suo prænuntiet, ut, quando Delphicum Orac. ALEXANDRO M. respondit, *Iniustus eris Alexander*, quoniam ex Dan. VIII. noverat, translaturum ipsum imperium a Babyloniis ad Græcos.

(f) Conf. de Orig. & Progress. Idol. Cap. I. passim. it. Cap. VII. p. 142. 143. ubi arguit Josephum, quod in Magis Ægyptiacis, quos Pharaon contra Moysen advocavit, nullas Diabolicas super ac præternaturales artes agnoscat, sed meras præstigias fuisse asseveret.

(g) Hinc etiam fit, ut pass. hic cit. non conveniant cum edit. in superiori Disfert. allegata.

rat, imposturas facias & detectas praestigias affert, (b) complures fallacias causae non causae committit, & a particulari ad universale concludit, quo tali ratione lectori imperito & minus cauto fucum faciat, eumque a recto veritatis tramite ad lubrica paradoxae (i) opinionis compita deducat.

§. IV. Hoc ut obtineat, testimonia autorum mutilate afferre, & loca Patrum suae sententiae contraria, pro se adducere, minime veretur. Sic ORIGENIS allegat verba. *Concedatur, non esse figmenta hominum quae feruntur de afflata Numine Pythia caterisque id genus Vatribus. Videamus, an non si diligenter rei veritatem expendamus, etiamsi maxime sine Oracula, non consequi necessario praesse illis Numen aliquod, sed potius quosdam malos Demonas & Spiritus insensos humano generi.* (k) Vbi Origenes per Numen aliquod verum & summum Deum intelligit, eique praesidium Oraculorum denegat, impuris Spiritibus sive Diabolis aperte tribuit. *Ibid. p. 33. 35. seq.* NICEPHORI GREGORAE verbis suam sententiam stabilire annititur, ubi vero animadvertit, illum ex parte sibi esse contrarium, *Sunt his verbis*, scribit, *bona mixta malis & mala mixta bonis.* Nimirum verba Nicephori extra contextum sumpta, ejus quidem proposito inserviunt, integra non item. Hinc rationes, pergit, *quas contra Oracula adducit, meae de iis positioni maxime posse conducere, ex sequentibus quoque clarum fiet.* Pari ratione cum EVSEBIO agit, de quo p. 35. *At mirandum, scribit, magis est, Eusebium, qui multas ac solidissimas rationes affert, cur merito credatur, Oracula fraude ac fallaciis hominum fuisse adornata, permansisse tamen in ista opinione, per malos Demonas ea hominibus fuisse reddita. Ea autem, quae affert contra communem de istis opinionem, dignissima sunt, quamvis satis proluxa, uti hic afferantur ex initio Lib. IV. Prepar. Evang.* Ecce vero non etiam illa, quae iidem Auctores habent, pro communi de Oraculis sententia, adducit? nimirum quia ipsius opinionem destruunt. Patet insimul ex his, quanta fides Dalenio adhibenda, quando Autorum verba pro confirmanda sua hypothese allegat. Cadit quoque ejus accusatio, qua Patres arguit, illos caeco impetu, & sine debita circumspectione, Ethnicorum

(b) Conf. de Orac. Vet. Ethnic. Cap. II. p. 47. it. Praefatio.

(i) Patet hoc exinde, quod ipse fatetur l. c. p. 46. *Neminem inter ipsos (Scriptores hujus praeteritae aevi) invenio, qui non aut omnino, aut pro parte saltem autorem illorum statuat Diabolum, it quando ibid. p. 52. Nihil aliud, scribit, mihi inde (quod Coelius Rhodiginus in diversa abeat) deperit, quam quod neminem hic usque invenierim, qui id, quod ego verum esse ducebam, aut perspexerit, aut cordate defendere publice ausus fuerit.*

(k) van Dalen de Orac. Vet. Ethnic. Cap. II. p. 22.

nicorum de Oraculis scripta legisse, iisdemque fidem adhibuisse, cum fateri cogatur, Eusebium rationes, communi de Oraculis sententiae contrarias, probe cognitās habuisse atque perspectas.

§. V. Videamus nunc, quas & quales in medium afferat dubitandi rationes, cur receptam de Oraculis sententiam amplecti, eidemque subscribere non possit. Adducemus easdem, bona fide ex scriptis ejus depromptas, & quidem primo loco illas, quae in Tractat. Dalenii de *Origine & Progressu Idololatriæ* reperiuntur. Ad hunc etenim librum statim p. 1. & 4. Tract. de *Oraculis Veterum Ethnicorum* provocat, & quae hic nude asseveratur, plenius ac curatius ibidem *Cap. I. II. III.* a se explicata esse, gloriatur.

I. Obj. p. 2. *Loc. Esaiæ. XLII, v. 8. 9. Ego Jehovah, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculpsilibus. Priora ecce venerunt & nova ego annuntians, antequam efflorescant audire facio vos.* Ergo Solus DEVS annuntiat futura, Idola vero & Dii Gentilium non poterunt futura prænuntiare.

Resp. Per gloriam DEI Interpretes optimi intelligunt incommunicabilitatem nominis Jehovah, vel cultum religiosum, de quo in antecedentibus agitur, posito vero, intelligendam esse futurorum revelationem, erit prædictio certa & infallibilis futurorum contingenter talium. Hæc gloria DEO manet propria. De futuris vero conjecturas proferre & ambigue loqui, quod Oracula faciebant, DEO non est gloriosum. Quin, ex mente Dalenii, gloriæ divinæ æque detraheretur, si homines Oraculorum, & futurorum per eadem prædictorum Autores æstimandi.

II. Obj. p. 3. *Deum provocare Idola ad futurorum manifestationem.* E. non potuisse futura annuntiare.

Resp. Ex allata superius distinctione. Si enim Diabolus ausus fuisset per falsos prophetas de futuris etiam naturalibus, & juxta naturæ leges necessario talibus, aliquid prædicere, Deus, qui naturæ Autor & Dominus, ordinem causarum secundarum immutare, & effectum contrarium Idola in confusionem dare potuisset.

III. Obj. p. 4. *Statuas seu simulacra prætensa divina nec incedere, nec movere se, nec loqui, nec indicare aliquid, aut respondere valere.*

Resp. Quis sapiens unquam affirmavit, lignum & lapides propria virtute hos effectus edere. Meminisse debuisset Dalenius, se alibi ex *LYCIANO* scribere. (1) *Illæ (Oracula) nec sine Sacerdotibus, nec sine*

Inter-

(1) de Orac. Ver. Ethnic. Cap. IX, p. 213. Alibi tamen & sine interpretibus

Interpretibus responsa dant. Nonne vero Diabolus Antistites instruere valebat, quid in majoris momenti negotiis & arduis casibus respondendum esset.

IV. Obj. p. 5. *Nullam divinitatem presentiamve Numinis alicujus, ejusmodi Staruis, Idolis, & Simulacris Deorum adfuisse.*

Resp. Si per divinitatem & Numen, verum & summum DEVM intelligit Dalenius, nos eatenus habet consentientes, quod summus DEVS, licet vi immensitatis & omnipresentiæ suæ, istiusmodi Delubris & Idolis adfuerit, non tamen ut causa efficiens seu dirigens in effectum productum influxerit, ut data oracula ipsi ulla ex parte tribui possint. Si vero Numinis vocabulum in latiori accipit significatione, ut Spiritus creatos & malos Angelos connotet, petit principium. Contrarium quippe in superiori Dissertatione (m) ab effectu ad causam argumentando evicimus, insimulque alibi ostendimus, mirum in modum e re Diaboli fuisse, superstitionem & idololatriam hoc modo conservari, & ad posteros transmitti. (n)

V. Obj. p. 8. *Si Diaboli talia ac tanta Oracula & Miracula ediderunt, DEVS plane contraria de iis testatus est. Aut si hæc quandoque ex permisso DEL facta, DEVS non est tantus Zelotes propria gloria & honoris, uti de se ipso pluries testatur.*

Resp. (α) Diaboli nequeunt edere miracula, sed tantum mirabilia, juxta ea, quæ superius allata. (β) Vbinam DEVS testatus est, Diabolos non posse mirabilia efficere, responsa dare, aut de futuris ambigue vaticinari? Contrarium potius apparet ex historia Magorum Ægyptiacorum, Jobi, atque Achabi. Cum enim Moses & Aaron varia prodigia divina virtute ederent, Incantatores Ægypti idem incantationibus suis efficere tentarunt, quin aliquoties præstiterunt Exod. VII. VIII. seq. Sic de Jobo prædicere poterat Diabolus, illius facultates brevi destructas fore, ipsiusque corpus, variis excrucium plagis, siquidem hujus executio a summo Numine illi jam concessa. Item Regem Achabum, per Prophetas seductum, descensurum in prælium prope Ramoth in Gilead, ibidemque diem obiturum supremum, quin & canes ipsius sanguinem lambituros esse, & istiusmodi plura. Quod ad ultimum attinet, idem urgere posset Dalenius, si homines, Oraculorum

Oracula accepta affirmat B. GRAPIVS *Theol. rec. contro. contin. Cap. III. Quest. X. p. m. 98.*

(m) *de Vero Orac. Præsede.*

(n) *de Causis Præsidem Orac. impellens,*

rum & mirabilium, per eadem editorum, autores, haberentur. DEVS quidem justus, & acerrimus vindex. læsæ gloriæ suæ, licet non e vestigio ultionem sumat. Obtinet hic illud VALER. MAX. *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.* Quo spectat & illud Exod. XXXII, 34. — *Ich werde Sie schon beimsuchen, wenn meine Zeit kömmt beimzusuchen.*

VI. Obj. *ibid.* In *Distis Scripturæ S. a se allatis* (e. g. Jerem. X, 1-16. Es. XLVI, 7. Deut. IV, 23. &c) non fieri mentionem Diaboli, quod necessario contingere debuisset, si is miracula, ostenta, & prodigia, sub Deitatis prætextu perpetrasset, aut per statuas, ex antris, aliisque modis locutus fuisset, aut *Oracula* edidisset.

Resp. Afferantur itaque alia S. Scripturæ loca, ubi Diaboli mentio injicitur 1. Reg. XXII, 21. 22. *Tandem exivit Spiritus, stetitque ante Jehovam ac dixit: Ego persuadebo illi, - - - Exibo & ero Spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum ejus.* 1. Paralip. XXI, 1. *Ceterum stetit Satan contra Israel, Ideoque incitavit Davidem ut numeraret Israel.* 1. Sam. XVI, 14. *Spiritus Jehovæ recessit a cum Saule & perturbavit eum Spiritus malus a cum Jehovab (o).* Num vero in allatis a Dalenio S. Scripturæ locis, Diaboli mentio explicita necessario fieri debuisset, penes Dalenium non est judicare.

VII. Obj. p. 9. *Diabolum & Angelos ejus, a DEO in ima Tartara fuisse detrusos, istique carceri catenis alligatos & inclusos, usque ad diem extremi judicii.* Vi locorum 2. Petr. II, 4. Jud. 6. idem repetit p. 439.

Resp. Diabolus ubicunque est infernum quasi secum vehit, exclusus namque est Diabolus a beatifica visione DEI, & terrores conscientie iramque divinam ubique experitur, & sic infernales dolores sentit, pariter ut beati Angeli semper vident faciem Patris cælestis. Ligatus igitur est catena tantum laxiori, ut nihilominus prodeambulare, & operationes in mundo suscipere possit. Hoc nisi esset, quid opus dehortatione

B

tatione

(o) Nos quidem non fugit, Dalenium de allatis *distis* diversum quid sentire vel, ut rectius dicam, eadem detorquere, & tentationes, quarum ibidem mentio fit, ad Deum ipsum sanctissimum referre. Sic enim *Dist. de vera & falsa Prophet. in Tract. de Orig. & Progressu Idol. p. 230. Tentationum.* scribit, *exempla, ab ipso DEO factarum, habemus, Samuelis Lib. I. Cap. XXXI. v. 1.* (scribere debuisset 2. Sam. XXIV.) *ubi DEVS concitat Davidem, ut pulam numeret.* & seq. pag. 438. *de Divinat. Idolol. sub V. T. DEVM arguit, quod Spiritum mendacii indiderit ori Prophetarum Baalis, 1. Reg. XXII.* Sed has strophas Dalenii adduxisse est refutasse.

tatione a securitate, & admonitione ad vigilandum, ne nos incautos opprimat? quomodo PETRVS scribere potuisset: *Diabolum ad instar Leonis rugientis obambulare, & querere, quem absorbeat?* 1. Petr. V, 8. Cur JACOBVS hortatur? *resistite Diabolo, & fugiet a vobis.* Jac. IV, 7. ad quid tota illa *παραπλῆξα* descripta Ephes. VI.

VIII. Objic. pag. 10. 11. *Si prestigia, ostenta, apparitiones, divinationes, &c. Diabolo tribuenda, aut is Ethnicorum Oraculis presedit, cur DEVS, populum suum ab iis debortando, Diaboli mentionem non fecit? Cur item Paulus ad Romanos, ubi Idololatria maxime dominabatur, scribens, nullius imperii Diaboli meminuit?*

Resp. Implicitam Diaboli mentionem hinc inde reperire licet, e.g. in prima statim apparitione, & seductione primorum nostrorum Parentum, ubi ex sermone serpentis, ex poena ipsi imposita, & addita comminatione, luculenter satis apparet, Diabolum sub assumpta larva latuisse, idem ex aliis non obscure elucet. Hac implicita Diaboli mentione cum contentus esse nolit Dalenius, sed explicitam necessario fieri debuisse, contendat, abeat, & a Spiritu S. rationes exquirat, cur id non fecerit, aut ipsum in consilium adhibuerit. Dubio procul Spiritus veritatis explicitam mentionem gravissimis de causis omisit. Interim non licebit a silentio Scripturæ S. ad negationem rei argumentari, alias & ipsa creatio Diaboli, ut & reliquorum Angelorum, in dubium vocanda, quoniam de eadem in prioribus Geneleos capitibus nihil legitur. Falsum vero est, Divum Paulum, in Epistola ad Romanos, nullam imperii diabolici mentionem facere, cum illius destructionem precibus a DEO expetat. *DEVS vero pacis, scribens, conterat Satanam sub pedes vestros brevi.* Rom. XVI, 20. Idem Apostolus nos instruit, cuiusnam Gentes in Idolis sacrificia offerant, nempe Dæmoniis, 1. Cor. X, 20. Clarius adhuc imperium Diaboli in infideles innuit, quando excœcationem eorum illi tribuit, 2. Cor. IV, 4. *In quibus, ait, DEVS Seculi hujus excœcavit sensus infidelium, ut non splendeat iis illuminatio Evangelii glorie Christi.*

IX. Objic. pag. 51. *Maxime notandum, PLATONEM, APVLEIVM, PLOTINVM, PORPHYRIVM, IAMBlichVM, PROCVLMVM, quam maxime inter se dissentire, in doctrina de Dæmonibus & Spiritibus.*

Resp. Quid inde contra nostram thesin? Nihil magis, quam istos Philosophos vera ac solida de Spiritibus noticia destitutos fuisse.

X. Objic. pag. 58. 1) *Superstitiosas esse hominum imaginationes, malorum*

malarum quorundam Dæmonum. 2) Talia hominibus persuaderi a vaticibus & expiatoribus, qui id lucri & commodi causa faciebant.

Resp. ad 1) Conced. Valere id de multis, minime vero de omnibus, siquidem nullo non tempore fuere, qui Spirituum, si non existentiam, tamen operationem in dubium vocarunt. ad 2) Non quidem dubitandum, Vates istiusmodi quid tentasse, neutiquam vero sapientes Viri illis assensum per tot secula præbuisserent, nisi per plurima exempla convicti, & notitiam humana majorem in Oraculis deprehendissent. Obtinet hic illud: Nullum simulatum diuturnum.

XI. Objic. pag. 7. 1) CICERONEM & prudentiores, ejusmodi narratiunculas & traditiunculas, pro splendidis habuisse mendaciis. 2) p. 52. ARISTOTELEM, pluresque alios, non minima dignationis Philosophos, omnes Dæmones, iisque patrocinium debentia Oracula & Vaticinia pernegasse. 3) pag. 62. Ipse HIPPOCRATES, talia neque ope Deorum neque Dæmonum, (quorum nullos hic agnoscit) fieri autumat, sed meris consistere præstigiis humanis.

Resp. ad 1) Ciceronem sui temporis scepticum fuisse, dudum ab Eruditis observatum, (p) quippe qui tam in veris, quam falsis, scrupulos movit, & meris sæpius conjecturis, plus nimium tribuit. Præterea, quæ ex Cicerone de Litu Romuli, & cote Atrii Navi adducuntur, ita comparata sunt, ut exinde Ciceronem, omnia Oracula pro præstigiis & sacerdotum fraudibus habuisse, inferre non liceat. Prudentiores vero isti nominatim adducendi erant, quo cujus farinae aut fursuris essent, constaret. ad 2.) Hic pariter nomina istorum Philosophorum desideramus. Adhæc non queritur, quid senserit aut statuerit Aristoteles, sed quibus adductus causis & rationibus ita pronuntiavit. ad 3). Hippocratis autoritas non magis nos movet, quam si quis dicat, ipse quoque Dalenius, at quantus Vir! isti sententiæ adstipulatur, & Oraculorum responsa, nil nisi meras Antistitum fraudes fuisse suspicatur.

§. VI. Præcipua hæc sunt Dalenii argumenta, quibus erroneam & paradoxam suam de Oraculis opinionem stabilire atque confirmare annisus est. Reliqua ibidem allata, ne tanti quidem sunt, ut adduci mereantur. Siquidem vel nuda sunt conjecturae, nulliusque probati Autoris testimonio nituntur, vel si maxime ita se haberent, uti Dalenius causatur, nullum tamen exinde nostræ sententiæ merendum esset periculum. e. g. *Extitisse semper, qui ex propria Persona, quasi instinctu*

(p) Vid. B. GRAPPI Theol. recens controov. Cap. III. Quæst. X, p. m. 99.

bujus aut illius DEI Deavæ vaticinarentur, carmine, aut prosa oratione, superstitiosis Oracula & vaticinia ederent. p. 293. Idiotas & privatos, superstitioni addictos, ejusmodi Oracula undique corrasa domi asservasse, & pro divinis habuisse. p. 306. Lacedæmoniorum Rhetras (q) a Regibus eorum pro lubitu auctas & immutatas, eosque nibilo secius venditasse, factum id autoritate divina. p. 310. seq. Easdem imposturas apud Romanos ac Spartanos locum habuisse. p. 327. *Lysandrum Sortes Delplicas atque Oracula contexuisse.* p. 389. Si hæc ita se haberent, quæ tamen meræ sunt præsumptiones, ex perversa autorum interpretatione vix speciem veri obtinentes, minime tamen universalem, sed particularem tantum Oraculorum corruptionem, exinde inferre liceret, quam nos facile admittimus. Quo pacto adversario incumberet onus probandi, allata a nobis Oracula corruptis esse annumeranda.

§. VII. Dispiciamus nunc, an forte majoris momenti sint, quæ Dalenius pro adstruenda hypothese sua, in *Dissertat. de Oraculis veterum Ethenicorum*, in medium proferre valuit. De eo ut constet, pari modo argumentorum summam ipsius Dalenii verbis exhibebimus.

I. Objic. p. 9. *Poetas non serio de Diis ac Damonibus locutos.*

Resp. Vereor, ut hoc ab omnibus, & semper probari ac demonstrari possit. Ipsa inspectio Poetarum, religiosæ Deorum invocationes, & aliæ circumstantiæ contrarium evincunt, istiusmodi vero conjecturæ, & objecta crimina solidis inniti debent rationibus. Ecceur vero Dalenius, singulis fere plagulis, testimonia ex scriptis Poetarum depromit? Nostra interim sententia unanimi consensu & fide Historicorum, non vero Poetarum nititur.

II. Obj. ibid. *Christianos Philosophos omnes, in doctrina de Diis, Dæmoniis & Oraculis, sequi Platonicos.*

Resp. Patribus limpidiores erant fontes, ex quibus de indole ac natura Diaboli malorumque Spirituum, certiolem notitiam haurire poterant

(q) Illud de Rhetris Lacedæmoniorum corruptis, videtur aliquid in recessu habere, hinc paucis de hoc dubio notamus, *Rhetras* Spartanis appellatas, non responsa solum Apollinis, sed & Leges a Lycurgo aliisque Legislatoribus latus, uti egregie, ex SVIDA, PLVTARCHO, aliisque probat *Io. Phil. PFEIFFER, in Antiquit. Græc. Gentil. Lib. II, Cap. XXIV. p. m. 291.* Et de tali mutatione agit etiam locus a Dalenio ex Plutarcho adductus, quod scilicet Regibus potestas fuerit rescindendi placita populi, & legibus superaddendi quod ex utilitate Reipubl. esse videbatur. Proinde non video, quid exinde obtinere possit Dalenius, cum hæc potestas legislatoria semper apud summos Imperantes fuerit.

poterant. Non igitur assentiebantur sententiæ Platoniorum de Oraculis alia de causa, quam quod eandem cum rei veritate convenire intelligerent. Licet enim Patres primitivæ ecclesiæ Philosophia Platonica delectarentur, non tamen in verba Platonis jurabant, quin potius aberrantem philosophiam Platoniam multis in locis rejecerunt, ut EVSEBIVS, (o) JUSTINVS MARTYR, (p) & alii, quos adducit Dalenius.

III. Obj. p. 14. *Quæ de operationibus Damonum & Oraculis ab Autoribus referuntur, non melioris esse conditionis, quam illa prodigia, quæ a LIVIO, DIONE, VALERIO MAXIMO, PLINIO, aliisque narrantur. e. g. Corvos responsa dedisse, Canem locutum. Serpentem latrasse, cum pulsus regno Tarquinius. ubi de PLINIO, hoc ultimum referente, subsannans quærit, Num testis oculatus?*

Resp. Hæc facilius dicuntur, quam probantur, adest adhuc quædam hic dissimilitudo, adductorum quippe veritas fide unius vel alterius tantum Autoris nititur, nostra autem de Oraculis sententia, a constanti consensu, variorum Autorum, qui diversis in locis ac temporibus monumenta consignarunt, robur accipit. Adhæc non video, qua specie Dalenius, Autoribus cœtera fide dignissimis, si quando mirabile quid afferunt, fidem denegare, eosque sannis excipere possit. Mirum, quod non etiam in dubium vocet, Serpentem a Diabolo obsessum, primos nostros Parentes compellasse, esumque prohibiti fructus suasisse. Dalenius forte pari cachinno excipiendus, cum illis fidem adhibet, qui

B 3

impo-

(r) EVSEBIVS, sub finem *Lib. XIII. Cap. VII. Preparat. Evangel. Edit. Basil. de anno 1579. Fol. p. 287.* Platonis, inquit, *Philosophiam rejiciemus, quoniam purissimum S. Scripturæ aurum non immaculatum servavit* . . . & paulo post fatetur: *Platonis dicta simul ac scripta nonnihil falsitatis permixtum possidere. Cap. VIII. IX. seqq.* pergit refutando Philosophiam Platoniam.

(s) JUSTINVS MARTYR, in *Orat. Parænet. ad Græcos*, sive, ut alii vertunt, ad *Gentes*, ubique accusat Platonem, quod cognitionem rerum divinarum, ex Mose, aliisque divinis scriptoribus haustam, depravit & pro suis vendidit. Etiam illa, quæ Plato de Oraculis habet, illi displicent, *sub fin. cohort. p. m. 28. Edit. Paris. de anno 1554. Fol. Idem de TERTULLIANO, LACTANTIO, THEODORETO, EPIPHANIO, AVGVSTINO*, aliisque affirmat BALTVS, dans sa *réponse a l'histoire des Oracles, Part. I. Chap. XIII. XIV. seq.* opera vero data, & prolixius demonstrat, Patres primitivæ ecclesiæ non fuisse istiusmodi adoratores Platonis, quales eos vendicant Dalenius alique, in *Traçtat. cui Tit. Defense des S. Peres accusez de Platonisme, à Paris M DCC XI.*

imposturas a se detectas referunt. Num illis præsens fuit, testisquæ
cylatus Dalenius?

IV. Obj. p. 23. *Diabolum antris, adytis, ac cæteris circumstantiis, circa
Oracula sua non opus habere, loqui eundem per homines, exemplo ancil-
læ fatidicæ, Act. XVI. 16. & obfessorum, per quos fassus, Jesum esse Chri-
stum & Filium Dei.*

Resp. Si Diabolus per ancillam responsa dedit, cur non idem et-
iam per Pythiam efficere potuit? Spiritus ille infernalis non quidem
opus habuit antris ac adytis absolute, seu, ut in scholis loqui amamus
necessitate exigentiæ, sed expediendiæ, ut scilicet eo melius fraudes
suas occultaret, & majorem Oraculis splendorem & auctoritatem con-
ciliaret. Hoc enim modo, cultum religiosum a consultoribus postula-
bat, obtinebatque. Etiam Deus (quod tamen citra comparisonem
affero) in V. T. non indigebat Arca fœderis, Propitiatorio, Vrim &
Thummim, & tamen placuit eidem his mediis responsa impertiri.

V. Obj. p. 35. *Ignotum esse, quis Oracula ista vulgo decantata primus
confinxerit, multos commentitios versus, & verba versus, quasi Oraculo-
rum, clam in vulgus per astutos homines fuisse sparsos.*

Resp. Quæ nos in medium attulimus, non incerta hominum tra-
ditione nituntur, aut ex Chryssippi libro desumpta, sed ex genuinis
Historicorum fontibus, de illis itaque solide docendum, quod conficta
fuerint. Adhæc a corruptione nonnullorum ad omnium N. V. C.

VI. Obj. p. 61. *Montana antra & cavernas occasionem præbuisse im-
postoribus sua Oracula adornandi.*

Resp. Et simul Diabolo, fraudi eorum se sociandi, ob insigne com-
modum, quod exinde sperandum.

VII. Obj. p. 67. *Antistites nullos consultores ad adyta admisisse,
nisi qui Reges & Principes, atque barum fraudum conscii essent.*

Resp. Vereor, ne plura hic affirmet Dalenius, quam probari pos-
sunt, creditu quippe difficile, Sacerdotes Regibus technas suas expo-
suisse, cum de eorum silentio certi non essent, hincque metuendum,
ne detegerentur ipsorum mysteria, & artes ad fallendum compositæ.
Quod vero non promiscue omnes interiora spectatum admiserint, id
ipsis nullo modo vitio verti poterit, nam quæ omnibus contemplan-
da patent, eorum æstimationem magna ex parte imminui, quotidie
videmus. Nec etiam diffitemur, Antistites sæpius fraudes adhibuisse,
quæ hoc modo facillime detectæ fuissent.

VIII. Obj.

VIII. Obj. *Cap. V. p. 90. Qui Oraculi petendi gratia adveniebant, erant homines superstitiosi, & præjudiciis, de divinitate ejus, preoccupati.*

Resp. Hoc de omnibus affirmari minime posse, docent exempla eorum, qui eum in finem accessere, ut veritatem & divinitatem Oraculorum explorarent, quem in finem varias intricatas quaestiones proposuerunt, vel etiam per literas probe obfignatas responsa expetivere. Cujus generis exempla pariter adduximus, ut MOPSI, Præfecti Ciliciæ, & CROESI, Lydorum Regis.

IX. Obj. *p. 91. Ex ditiorum famulatio Sacerdotes, Cauponasque expiscari potuisse, cur advenerint Consultores, qui status rerum domi, aliæque plura.*

Resp. A posse ad esse N. V. C. sunt hæc meræ conjecturæ, omni auctorum testimonio destitutæ, quarum contrarium æque probabile, abstinuisse sapius Antistites ab adeo sollicita perscrutatione, ne Consultoribus suspicionem injicerent, Sacerdotes hoc pacto explorare velle, quò in articulo rerum constituti essent, & quid forte respondendum. Ad minimum valde periculosum erat, id negotii cauponis committere, quorum fides non raro venalis esse solet, quique commissa tulo tacere non semper didicere.

X. Obj. *p. 96. Pythiam non semper paratam fuisse ad proferendum responsa, sed destinatos dies fuisse expectandos.*

Resp. Ex his colligere licet, Pythiæ suggestionibus diabolicis opus fuisse, easque expectatas. Sic enim victima, aqua perfusa, toto corpore, modo plane extraordinario, contremiscere debebat, si oraculum expectandum. Cujusmodi tremor ubi non antecesserat, & Pythia nihilominus tripodem conscendebat, male mulctata abiit, quin hujus vitæ usuram penitus amisit.

XI. Obj. *p. 166. Cum minus perspicaces essent homines, plura ubique viguisse Oracula, & in iis Regionibus, ubi ingenia stupidiora, e. g. in Bœotia. Contra, ubi homines acutioris ingenii, rariora multo, neque tam longa durationis fuisse.*

Resp. Mirum, Dalenium Athenienses, Spartanos, aliosque Græciæ Incolas, quos apud, Cicerone teste, mercatura erat bonarum artium, quique animum litterarum studiis præ reliquis excolebant, iisque mirifice delectabantur, & nihilo secius frequentissime oracula petitem proficiscebantur, mirum, inquam, Dalenium illos stupiditatis arguere, & omnino verendum, ne, si reviviscerent, judicii Daleniani hebetudinem accularent, retorquentes illud Horat. *Bœotum in crasso jurares aëre nazum.* Interim apud illos per plurima secula viguit Oraculum Delphicum.

XII.

XII. Obj. p. 240. *Omnes de Oraculis narratiunculas nos habemus manus Sacerdotum ac Antisitam.*

Resp. Optimi Auctores illi, quos adduximus, HERODOTVS, ARRIANVS, STRABO, PLVTARCHVS, THVCYDIDES, IUSTINVS, PLINIUS, aliique, non fuere Sacerdotes, sed viri politici, qui historias suas ex monumentis fide dignissimis consignarunt.

XIII. Obj. p. 250. *Periculosum fuisse, si consultores contradicere voluissent Antisibus.*

Resp. Etsi consultum non erat, in ipso limine templi illis contradicere, minime tamen siluissent Consultores, sed domum reuersi, impofuras detectas, amicis saltem, candide exposuissent.

XIV. Obj. 1.) p. 9. *Non inutile neque injucundum fore, inspicere LUCIANVM, quam lepide ac false rideat sententiam Gentilium de Oraculis, Demonibus &c. 2.) p. 160. EPICVREOS, CYNICOS, & alios, ubicunque potuerint, occasionem arripuisse Oraculis false & acriter insultandi. 3.) p. 364. Homines politicos saepe parvi fecisse oraculorum responsa. p. 367. usos iisdem in rem suam, at, si non ex voto, aut voluntate respondissent, eis minime paruiffe.*

Resp. 1.) Quasi vero Lucianus Satyam scribendo, veritatem theaeos cujusdam subvertere, eamque falsitatis arguere potuiffet. ad 2.) & 3.) Non quaeritur quid fecerint, sed quibus induci rationibus id susceperint, forte animadverterunt, mendacia hominum illis saepius pro Oraculis obrudi, ista igitur jure optimo spreverunt, neque etiam Diaboli consilia exsequi tenebantur.

§. VIII. Plures hujusmodi Dalenii nugae afferre tædet, siquidem quilibet, a praëjudicatis opinionibus vacuus, lector, facile per se intelliget, pleraque Dalenii dubia ita comparata esse, ut sponte corruant, quin totam illius opinionem in falsam insistere hypothesin, & meris conjecturis fulciri, ut adeo nullum, nostræ sententiæ, *Quibusdam Oraculis interdum praesedis Diabolum, & quid respondendum sit, Pythiae ac vatibus inspirasse*, exinde imminet discrimen. Tu vero L. B. rogandus nobis es, ut æquus rerum censor esse velis, & si quæ forte pro rei dignitate non satis pertractata videbuntur, memineris, angustos limites, intra quos subsistendum fuit, ut prolixiores essemus, non permisisse. Qui vero plenior de Divinatione & Oraculis notitiam sibi acquirere, vel singulorum etiam Deorum fatidicorum, qui olim responsa dederunt, descriptionem cognoscere voluerit, adeat JANI JAC. BOISSARDI de *Divinatione & Magicis Praestigiis*, Tractatum, quem, rariorem licet, una cum aliis rarioribus, ex instructissima *III. Dn. Consil. J. G. BERGERI, Promotoris ac Praesidis quondam nostri ad cineres colendi*, Bibliotheca benevole communicatum, perlustrare licuit.

R-
s,
ias
ere
ra-
o-
IA-
mi-
oc-
nes
em
e-
) &
ce-
ra-
oli
em
el-
nt,
eris
O-
e ac
ro-
orte
gu-
non
iam
olim
ANI
um,
ll.
eres

05 H 587

ULB Halle
004 220 03X

3





ANTON. D. 1784
PARALOGISMOS
ANTON. VAN DALEN

QUANTVM AD
PRAESIDEM ORACVLORVM
ATTINET
EXCVSSOS
IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTENT
PRAESES
IOANNES FRIDERICVS
SCHOMERVS

